



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Manvale Parochorvm, Sive Institutiones & Praxes Tum  
Vitæ, tum Officii Pastoralis**

**Musart, Charles**

**Monachii, 1654**

XX. De sigillo strictissimè seruando.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41616**

128 *Institutionum Pastoralium*  
ris eos emendare, cùm absolutio va-  
luerit: si tamen corrigere commode  
defectum possis, corriges: attenderes  
tamen semper, vt sigillum serues.

NVM: XX.

*De Sigillo.*

C Aue, ne directè, vel indirectè  
vullo modo, vel vnquam, vlloue  
casu, ne mortis quidem vitandæ cau-  
sâ, aut prætextu cuiusuis boni, etiam  
publici, sacrosanctum Sigillum con-  
fessionis frangas, aut occasionem  
præbeas, ne alii frangant; ideoque  
arcebis eos, qui propriùs accedunt  
confidenti: cauebis præterea, ne voce  
altiore, aut gestu, vel alio signo assi-  
stantes intelligent aliquid pertinens  
ad sigillum. Frangitur autem sigil-  
lum, vel reuelando peccatum morta-  
le, etiam in genere, vel veniale quod-  
piam in specie, vel quodcunque, quod  
pœnitens confessus est, tanquam per-  
tinens ad suum peccatum in confel-  
sione

sione explicandum. Præterea censemur frangi, si ex eâ notitiâ, sine veniâ pœnitentis, aliquid dicas, faciásue, quòd pœnitentibus pudorem, horrorémque, atque ita ipsius Sacramenti incommodum adferre posset. Facilè in his impinges: nisi linguæ frœnum iniicias: faciliúsq; erit de auditis in confessione omnino tacere, quàm vel verbum loqui: cum pœnitente verò ita agas, ac si ex confessione non nôsses: nisi fortè de ipsius licentiâ. Res hæc lubrica est: iterum moneo, caue: præsertim si de uxore cum marito, de liberis cum parentibus, quorum confessarius es, loquendum, agendúmq; sit, de iis præsertim, quæ vitiosa sunt. In ipsa etiam confessione frangi potest sigillum, ut si pœnitenti aliquid narres, vnde ille alterius, qui tibi confessus est, peccatum suspicetur, quod interrogationibus facilè contingit per imprudentiam: Si extra confessionem no-

F s

ueris

130 *Institutionum Pastoralium*  
ueris peccatum aliquod pœnitentis,  
de quo loqui te oporteat, significa-  
vnde vel quomodo id nōris; ne ve-  
nias in suspicionem reuelatæ confes-  
sionis. Si quispiam te interroget de  
auditis in confessione: nega, pernegá-  
te quicquam scire, adhibito etiam iu-  
ramento, si opus est: nescis enim illa  
ex notitiâ quadam humanâ, quæ sola  
quæri potest, & reprehende tam im-  
prudentem interrogationem: Sigil-  
lum quidem non frangis, cùm petis  
à pœnitente licentiam, vt cum eodem  
confessione agere possis, & ipse spon-  
te consentiat: sed, nisi graui de causa,  
ne pete: nam ferè ruborem id incu-  
tit, præsertim si vrgeas, cùm negat.

### SECTIO II.

Particularia quædam circa in-  
firmos ac moribundos.

NVM: XXI.

*De præparandis infirmis ad non differen-  
tiam confessionem.*

Suprà